Ad Lectorem Trigonometriæ *ſtudioſum.*

QVi Cœli, atque ſoli, & ſinuoſos æquoris arcus
Metiri, & curvos vis numerare gradus;
Quíque per expanſum tenſas cognoſcere rectas,
Menſurat radio quas GEODÆTA ſuo:
Macte animo, inſta operi, LOGARITHMIS utere, quos hîc
Rara Caledonii, dat Baro, gemma ſoli.
Fruſtrà erit hinc multis tabulas extendere chartis:
Fruſtrà erit & calamo crebra litura tuo.
Quæ niſi multiplici nunquam potuere priores,
Actu uno hîc facili tu numerare queas.
Ad SOPHIAM quid ferto novi, quod priſtina vincat,
Quiſquis ab ingenio nomen habere cupis.

Patricius Sandęus.

In Logarithmos D. I. NEPERI.

REGIOMONTANVS fertur per aphęreſin, atque
Proſtheſin ignotos elicuiſſe ſinus:
Atque aliquos aliquot ſinuum quæſita Logiſtas
Conſimili legimus notificaſſe modo:
Nemo tamen cunctos poterat ſic ſolvere nodos,
Aut certâ rectam lege docere viam.
Muſarum NEPERVS honos, & gloria gentis
Scotigenæ, parvo pręſtat utrumque libro.
Nomine ſic NEPAR, PARILI fit & omine NON PAR,
Quum non hac habeat NEPAR in arte PAREM.

Aliud.

BVCHANANE tibi NEPERVM adſciſce ſodalem,
Floreat & noſtris *Scotia* noſtra viris:
Nam velut ad ſummum culmen perducta Poëſis
In te ſtat, nec quò progrediatur habet:
Sic etiam ad ſummum eſt culmen perducta Matheſis,
Inque hoc ſtat, nec quò progrediatur habet.

Ad Lectorem.

HIc liber eſt minimus, ſi ſpectes verba, ſed uſum
Si ſpectes, Lector, maximus hic liber eſt.
Diſce, ſcies parvo tantum debere libello
Te, quantum magnis mille voluminibus.

ANDREAS IVNIVS
Philoſophiæ Profeſſor in
Academia Edinburgena.